DISSERTATIO
INAUGURALIS
DE
COLCHICI AUTUMNALIS
USU MEDICO

QUAM

PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE AC CHIRURGIAE

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM BEROLINENSI

RITE CAPESSENDO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS WOLFF

BEROLINENSIS.

DIE V. M. DECEMBRIS A. MDCCCXVIII

H. L. Q. S.

BEROLINI

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO ILLUSTRI

AUG. FERDIN. A WOLFF

MEDICINAE DOCTORI, A CONSILIIS RERUM MEDICINALIUM IN REGNO POLONICO SUMMIS ETC. ETC.

AVUNCULO SUO DILECTISSIMO

HAS LITTERARUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

L. B. S.

Quamvis magna sit medicaminum copia, qua medico ad morborum curationem uti licet, eam tamen saepius non idoneam esse effectibus optabilibus producendis tristis dierum experientia edocet. Rarius quidem id accidit in morbis, quos dicunt acutos, quippe qui plerumque tum ex omnium immuni ac naturali in morbum inclinatione tum ex causis fortuitis externis neque persistentibus existunt. Et quamquam vis vitalis in causam morbi reagens in iis abnormem se praestat, tamen potentia noxiosa remota secundum leges naturae medicatricis breviore longioreve temporis spatio convalescit, eoque certius quo diligentius medicus externa, quae ad sanitatem recuperandam necessaria sunt, respicit. Plane aliter res sese habet in morbis, quos dicunt chronicos, inprimisque in eorum gravioribus. Qui quum plerumque morborum acutorum et praecipue inflammationum praegressarum effectus sint, causam remotam non extra corpus positam sed potius intus in eo agentem habent. Hae causae remotiores consistunt vel in mutationibus formae et mixtionis satis apertis (i. e. desorganisatione), quibus singula organa ad functiones proprias peragendas inutilia redduntur, morbusque ab initio particularis in universalem transit, vel in alienatione vel in torpore vel in paralysi virium vitalium, licet harum causa materialis sensibus percipi nequeat. Hic, ubi vix sperandum fore, ut organismus ipse integritatem sibi sponte restituat, medici est, primum vitae actiones ita moderari, ut vitiis formae ac mixtionis remotis functio par-

tis renovetur, tum actiones alienatas in naturales convertere et nimis debilitatas adjuvare. Magnum sane ac difficile problema, cujus solutionem, quid vehementer dolet, partim ob mali magnitudinem partim ob exiguam nostram internarum legum notitiam partim ob aegrorum idiosyncrasias raro admodum periclitantibus contingere videmus! Nemo qui ignoret has aegrorum idiosyncrasias praecipue facere, ut medicus copiam remediorum, quibus in concreto, ut dicunt, casu utatur, multo majorem esse, saepius exoptet. Haec ratio satis idonea mihi videtur, quae me excuset, cur novum remedium veteribus atque usitatis addere ausus sim. Praeterea ejus commodatio testimoniis virorum illustrium ac fide dignissimorum nititur, qui uno consensu confitentur, id in chronicis morbis pertinacissimis se valde efficax praestitisse ac licet effectus non tam fortes essent quam aliorum, quibus in iisdem morbis vulgo uteremur, medicaminum, tamen ejus usum neque tam arctis finibus intercludi neque tam multis contrariis indicationibus obnoxium esse. Id quoque velim lectores recordentur, colchicum esse medicamen indigenum, eaque, quae ab exteris apportantur, non solum vilitate superare sed etiam in eo longe antecellere, quod neque transportatione diutina, quae saepe mercibus obest, destituatur, nec lucri cupiditate nec imperitia hominum radices venditantium cum aliis permutetur, quae permutatio, ubi facta est, plerumque non prius detegitur: quam effectus tristissimi jam exorti sint. Vale.

Colchicum autumnale planta est classis hexandriae, trigyniae. Colchicum ita vocata est a *Colchide*, Asiae regione, ubi, teste *Diocoride*, plurimum crescit, et cum sub finem autumni florem suum edat, autumnale appellatur, unde quoque nominibus: *autumni praeco*, *decus autumnale* insignitur.[1]) Enascitur haec planta in Asia occidentali et in Europa australi, in Italia, Hispania, Helvetia, Gallia, Anglia, Germania; in plagis septemtrionalibus, ut in Suecia, Norvegia, haud invenitur.

Radix hujus plantae bulbosa est, unum duosve pollices sub terra latitat, altero latere convexa, altero plana est et instructa crena, cujus figura dimidium cylindri refert, cuticula fusca obducta, ceterum alba. In pagina inferiori paucas fibrillas ex macula rotunda et ex memorata crena caulem, vagina fusca velatum et autumno adhuc sub terra reconditum fructum cum foliorum rudimentis emittit. Radix tempore verno folia et cum iis fructum et autumno florem profert; tunc exsiccari incipit, novaque adhuc substituta vere gemina invenitur. Altera recens, bulbosa, carnosa, succulenta, altera sterilis, macrescens, flaccida alteri inhaerens. Recens in fibras deorsum tendentes porrigitur, plantamque profert.

---

[1]) *Siegesbeck* testatur, interdum accidere, ut colchicum tempore vernali loco capsulae seminalis florem tenerum emittat, qui vero non in semen abeat sed potius simul cum foliis defluat et autumno flore novo et genuino restituatur.

Breslauer Sammlungen Bd. 23. und 24. Seite 677.

Folia tria vel quatuor satis lata, plana et media inter lanceae figuram et ovatam, crassa, laevia sunt. Majo et Junio prodeunt et fructum maturescentem includunt.

Flores ex ipsa radice enati, ex unica membrana cohaerente compositi, nullo exteriori tegumento, si exceperis exiguam, marcescentem, tenuissimam, albidam vaginam, inclusi, penitus albi aut rubelli aut albi et rubentibus lineis picti aut purpurascentes longo, dodrantali non raro, perangusto tubo constant, qui denique dilatus in sex ovata alternatim majora et minora segmenta finditur. Duobus vel tribus diebus elapsis flores jam macrescunt et dilabuntur. Stamina alterna breviora ex lato segmentorum fine orta pollinem luteum spargunt; numerum floris foliorum non excedunt. Tubae tres filo tenui similes, longissimae, solitario ovario insidentes apiculis recurvis singulae terminantur.

Fructus oblongus, magnus, rugosus, pyri speciem prae se fert et intus in ternos loculos dividitur, qui singuli magnam teretium rugosorum et ex atro fuscorum seminum copiam continent.

Species colchici autumnalis, quas phytologi enumerant, sunt:

Colchicum autumnale commune. Plerumque in pratis humidioribus depressis, rarius in montibus crescit. Variat, nam in pratis folia angustiora, in montibus latiora habet.

Colchicum Anglicum, angustifolium, flore candido.

Colchicum montanum, augustifolium s. minus.

Denominationes variae et a veteribus et a recentioribus colchico tributae sunt. Appellatur:

Theodisce: Zeitlose, Herbstzeitlose, Wiesensafran, Lichtblume.

Gallice: *Colchique, tue-chien, mort aux chiens.*

Anglice: *wild Saffron.*

Graece: *Ἐφήμερον κόλχικον* seu *βολβὸς ἄγριος.*

Latine: Ephemerum venenatum, lethale, colchicum strangulatorium.

Arabice: Hermodactylus.

Causa denominationis: ἐφήμερον, duplex vocatur: quod eadem die, qua sumatur, interficiat, vel quod quo die nascatur flos eodem intereat. Priori sententiae omnes fere favent et ulteriorem respuunt, cum colchici flos, saltem in regionibus nostris, ultra diem perduret et in duos vel tres vigeat.

Dioscorides,[1]) qui duo plantarum genera *Ephemeri* nomine insignita memorat, letiferum colchicum ita describit: colchicum, quod alii agrestem bulbum vocant, sub finem autumni florem edit croci candicantem deinceps vero folia bulbi, sed pinguiora, caulem dodrantalem cum rufo semine, radicem cortice praeditam e nigro fulvescente, quae quidem deliberata candida, tenera, succi plena atque etiam gustanti dulcis reperitur. Habet vero ejus bulbus mediam rimam fissuramve, e qua flos erumpit. Plurimum in *Messenia* et apud *Colchos* enascitur. Comesaradix fungorum more strangulando enecat. Hac descriptione colchici nostri naturam plane explicavit. Alterum non letale ita distinguit: ἐφήμερον, quod alii ἶριν ἀγρίαν appellant, caulem foliaque habet lilii, sed haec tenuiora, flores candidos, amaros, semen molle, radicem unam digitali crassitudine, longam, adstringentem, odoratam. Nascitur in silvis et opacis. Hujus radix dentium doloribus praecipua, si decocto ii colluantur.

Scribonius Largus [2]) ephemeri letalis seu venenati mentionem facit, symptomata dira, quae intus in corpore provocat, enumerat, et remedia, quorum ope innoxium reddi potest, haud praeterit. De ephemero autem non venenato nulla verba fecit.

Plinius [3]) secundus *Dioscoridem* in desribendo ephemero non letali secutus est, et quoque memo-

---

1) ***Dioscoridis*** opera ex interpretatione Saraceni. Francofurti 1598. Lib. IV. Cap. 84. p. 278.

2) *Medicae artis principes post Hippokratem et Galenum*. 1567 a *Stephano* editio curata. *Scribonius Largus* de compositione medicamentorum Cap. 193. p. 226.

3) *Caji Plinii* historiae naturalis Tom. IV. Lib. XXV. Cap. 107. p. 255. Biponti 1784.

rat, id radicem habere digitali crassitudine, dentibus praecipuam.

Galenus [1]) *Dioscoridem* omnino sequens discrimen interesse inter *ephemerum* seu *irin agréstem* et *colchicum* seu *bulbum erraticum* dixit. Easdem protulit herbarum notas et eadem symptomata, quae ex colchico sumto enascuntur, vocavit.

Paulus Aegineta [2]) ambas plantas quoque distinctas habet et se earum effectus bene novisse testatur.

Oribasius, [3]) *Discoridem* ante oculos habens, iis, quae ex eo duplici plantae genere compertum habuerat, nihil novi addidit.

Aëtius [4]) Ephemerum Colchicum venenis adnumerat, ephemero non venenato praetermisso.

Paulus Aegineta (l. c. lib. III. cap 78. p. 495.) nomen *hermodactylus* (*Ἑρμοῦ δάκτυλος, digitus Mercurii*) plantae primus tribuit. Sunt complures, qui contendant, eum hoc verbo ephemerum non venenatum intellexisse, praesertim quum *Paulus* virtutes antarthriticas, ephemero non venenato a *Dioscoride* adscriptas, hermodactylo attribueret. *Dioscorides* enim (l. c. cap. 85): folia vero, ait, in vino cocta illitaque oedemata tuberculaque discutiunt, quae quidem humidi nihil dum contraxere. *Paulus* (Lib. VII. cap. 3. p. 620) affirmat, hanc plantam vim purgatoriam habere eamque etiam in arthritide magnam praebere utilitatem. Et aliam adhuc afferunt rationem, qua rem ita se habere comprobare student, cum dicant, ephemeri non letalis radicem longitudinis et crassitiei digiti esse. Tamen non tacendum

---

1) *Galeni Pergameni* operum quinta classis. Lib VI. p. 96. *Galeno* lib. attributus de simplicibus medicaminibus p. 82. Basileae 1561.

2) *Medicae artis principes. Pauli Aeginetae* de re medica lib. V. cap. 29. et 47. lib. VII. cap. 3.

3) *Med. artis etc Oribasii* opera medicinae collecta Lib. XI. p. 423, Lib. XV. p 496.

4) *Med. artis etc. Aëtii* contracta ex veteribus medicina. Tetrabibli quartae Sermo I. cap. 45.

est, *Paulum* de ephemero non letifero et de hermodactylo tamquam de rebus plane diversis egisse, ita ut perspicuum sit, eum has plantas distinctas habuisse.

Arabes, qui post *Avicennam* rem medicam tractaverunt, imprimis *Serapion* minor, hermodactylum *Pauli Aeginetae* ephemerum esse putaverunt et alterum cum altero combinarunt. Cujus rei exemplum materia medica Baitharidae (*Ibn Baithar*) manuscripta proponit, quae enim sub hermodactyli nomine *Dioscoridem* de colchico allegatum et excerptum habet.

Arabice hermodactylus *Asaba Hermes*, *digitus mercurii*, dicitur, et planta, cujus pars Asaba Hermes est, *Surengian* ab iis vocatur.[1] Cum omnes eorum rei herbariae scriptores hermodactyli voce ephemerum intellexerint, distinxerunt hermodactylum album et rubeum vel nigrum, quorum prior ephemerum non letale, posterior ephemerum colchicum est. —

Mesuë[2]) ita de hermodactylo disseruit: hermodactylus radix est herbae montanae, et ejus alius est longus sicut digitus, alius rotundus. Ille, de quo hic loquimur, est rotundus, et ejus alius est albus, alius ruber, alius niger. Melior ex his est, qui est albus et verae albedinis intus et extra. Rubeus vero et niger ambo sunt mali. Cujus ortus est in locis pinguibus et humidis est malus. Melius collectionis tempus est ver, et meliores sunt, in quibus praeteriit medius annus post bonam eorum exsiccationem. Solutione educit phlegma crassum e juncturis proprie. Et est medicina artheticae magna et podagrae, sumptus et cataplasmatus etc. Quum vero nimis breviter rem tractavit, non definite tradi potest, qualis sit illa innoxia species.

Dein magna opinionum dissensio exorta est, et permulti phytologi enixe studuerunt, ut plantas, quibus a veteribus nomina ephemeri ac hermodac-

---

1) *Dictionnaire universel de médecine* Tome 2. p. 828. Paris 1746.

2) *Mesuë* qui Graecorum et Arabum postremus medicinam practicam illustravit. Cap. 7. pag. 65. Venetiis. 1558.

tyli tributa essent, recognoscerent. Primum conjecturas referam, quas scriptores de *ephemero non venenato Dioscoridis* proposuerunt.

Fuchsius [1]) opinatur, esse *lilium convallium* ephemerum non letale.

Testatur *Manardus,* [2]) se nunquam ephemerum innoxium in Italia vidisse, frequentius autem hanc plantam in Pannonia reperisse. Folia ejus, ait, foliis Satyrii simillima sunt, quibus deceptus plantam Satyrium credidi, donec radix eruta me certum reddiderit, me aliud genus perquirere. Fusius rem non explanavit.

Aliam plantam descripsit ac depinxit *Matthiolus,* [3]) quae a recentioribus inter Lysimachiae species refertur. *Tournefort* et *Herrmann* [4]) hancce sententiam imprimis amplectuntur. Et illa Lysimachiae species, quae Virginiana vulgo appellari solet, certe ephemeri nomine digna est, quod flos ultra diem non duret; sub vesperam enim aperitur et ad sequentis diei occasum flaccescit.

Bodaeus [5]) Iridem tuberosam ephemerum non letale veterum vocat. Talem esse *Dioscoridis* et *Plinii* descriptionem hujus plantae, ut vix ab ea iridis tuberosae discrepet, censet.

Casparus Bauhinus [6]) sibi persuasum habet, Dentem caninum esse ephemerum non venenatum. Alio loco (l. c. p. 304) commemorat, Polygonatum angustifolium a nonnullis ephemerum veterum nominari.

---

1) *Historia generalis plantarum* tom. II. pag. 1574. Lugduni 1587.

2) *Manardi* annotationes ad *Mesuën* (vid. *Mesuë*) p. 65.

3) *Histor. gen. plantarum* tom. II. p. 1574.

4) *Herrmanni* Cynosura Mat. medicae tom. III. p. 393. Argentorati 1726.

5) *Theophrasti Eresii* de historia plantarum lib. X. cum notis *Joannis Bodaei a Stapel* pag. 1144. Amstelodami 1644.

6) *Caspari Bauhini* pinax theatri botanici p. 87. Basileae 1671.

Cui autem ulli harum opinionum fides haberi potest, cum nulla rationibus sufficientibus nitatur?

Sequuntur nunc, quae conjecerunt auctores de hermodactyli indole.

Matthiolus (Hist. gen. plant. p. 1573) plantam, cui hermodactyli nomen tribuit, ita describit: folia fert praelonga, binorum dodrantum longitudine et fortasse longiora. Caulis prosilit e medio tenuis, herbaceus. Florem non vidit *Matthiolus*, planta enim Constantinopoli allata et ei tradita fuit. In summitate prominet, pergit *M.*, capitulum oblongum, pyri figura. Radices digiti speciem referunt, adeo ut quoque unguium figura conspicua sit. Radices sunt quatuor, ex una eadem basi emergentes, colore ex pallido rufescente, albis in summitate unguibus et nullis circa sese fibris.

Plurimi autem hunc hermodactylum a *Matthiolo genuinum* nominatum respuunt, eumque iridis generi adnumerant, vel esse Satyrium erythronium *Lobelii* vel Dentem caninum esse volunt (Hist. gen. plant. pag. 1573 et 1567).

Tragus (*Bauhini* pinax p. 308) contendit, nullum dubium esse, quin hermodactylus Cyclamen radice exigua sit.

Dodonaeus putat, esse hermodactylum Iris tuberosa, ob figuram nempe, quam iridis radix enato flore prae se fert. Haec enim in propagines extuberat, quarum nonnullae digitum referunt, unde plerique ei hermodactyli nomen dedere (Hist. gen. plant. pag. 1612).

Tournefort et dein quoque *Linnée* [1]) hanc *Dodonaei* opinionem amplexi sunt. *Boerhave* autem, qui [2]) hermodactylum plantam in horto academico Lugdunensi crescentem delineavit, descriptionem

---

[1]) *Linnée* Materia medica p. 48. Editio quinta. Lipsiae, 1787.

[2]) *Historia plantarum*, quae in horto academico Lugduni Batavorum crescunt, a *Herrmanno Boerhave* pag. 595. Romae 1727.

tradidit ejus sequentem: flos ejus omnino ab iride differt, nam refert volitantem vespertilionem; hinc dicitur horticulis Iris, Belgice fleermuys. Radix habet tuber exiguum, quod validissime sursum deorsumque purgat. Hinc laudatur in podagra.

Pena (Hist. gen. plant. pag. 1573) existimat, hermodactylum nil nisi ephemerum non venenatum esse, vel si non idem saltem plantam huic valde assimilem et leviori tantum nota non specie ab eo diversam. Idem censuit *Lobelius* (eod. loco).

Plerique nunc inter se convenere, hermodactylum pro colchici specie habendum esse.

Casparus Bauhinus (Pinax p. 67) opinatur, colchicum radice siccata alba vel colchicum Chionense vel colchicum variegatum plantam esse, cujus radices hermodactyli sint.

Fridericus Hoffmannus [1]) ita scribit: hermodactyli sunt colchici Aegyptiaci radices exsiccatae, rotundae, tuberosae, albae, odoris nullius, saporis farinacei et viscosi. Optimi sunt compacti et qui levi contusione facile abeunt in pulverem.

Miller, [2]) *Herrmann* (l. c. tom. III. p. 115), *Forskähl* [3]) et *Bergius* [4]) una voce comprobant, hermodactylos radices colchici Illyrici jure censendas esse, et in *Pharmacopöa Gallica* anni 1818. pag. CIII, duce *Millero*, memoratur, hermodactylos officinarum esse radices colchici Illyrici.

Nam veterum opera diligentius perquirentes loca non latuerunt, quibus, ut iis visum est, comprobatur, hermodactylos colchici radicibus et habitu et effectu tam similes esse, ut tanta similitudo inducere posset, hermodactylos et colchici radices pro speciebus ejusdem generis plantarum habere.

Paulus Aegineta (L. III. Cap. 78 pag. 495),

---

1) *Fr. Hoffmanni* operum physico-medicorum supplementum secundum. Pars II. De materia medica cap. XI. pag. 177. Genevae 1753.

2 et 3) *Murray's* Arzneivorrath 5ter Band Seite 225.

4) *Bergius* Mat. medica e regno vegetabili pag. 292. Holmiae 1778.

cum de hermodactylorum usu loquitur: verum attendendum est, ait, quia stomacho incommodus est hermodactylus et anxios et ciborum inappetentes facit. In solis iis, qui negotiis urgentur, quae differri non possunt, ipso utendum est. Compendio etenim et post duos ut plurimum dies sedat fluxiones, ut quis ad consuetas functiones subeundas transire possit.

Et *Mesuë* (Cap. 7. pag. 63) quoque affirmat, non multum interesse inter hermodactylum suum innoxium, salubrem et alterum exitiosum.

Prosper Aepinus[1]) in tractatu suo huic sententiae insigniter favet: Mulieres Aegyptiacae ad decem vulgares bulbos, pro hermodactylis a pharmacopolis nostris receptos, quos aliqui colchicum potius esse existimant, contostos mandnnt etc. Cum per os sumti nullam noxam inferant, minimeque strangulent, dubitat *Alpinus* eos *Discoridis* colchicum esse et eos pro alia hujus specie haud venenosa habet.

Ita differunt, ait *Lanzoni*[2]) colchicum et hermodactylus, ut hic exsiccatus abeat in pulverem album et candidus sit, cum colchici radix fusca sit et in pulverem fuscum conteratur. Hermodactylus innoxie gustari potest, colchicum venenosum est. Variae autem sunt colchici species, ideoque aliqui venenatum dixerunt alii non, quia unam pro alia specie sumsere.

Sed Arabum opera fere omnia nonnisi pessimo modo in latinam linguam conversa sunt, ita ut saepe dubium haereat, quaenam dixerint. Illustrissimus *Link* tanta benignitate, pro qua gratias sat dignas nunquam referre possum, fuit, ut ex *Avicennae* Canone Romae in officina Medicea arabice impresso locum de hermodactylo in latinam linguam converterit. „Surengian est radix plantae, cui flores albi et lutei. Aperit flores antequam aliquid flores ape-

---

1) *Prosperi Alpini* medicina aegyptiorum pag. 254 et 253 Lugduni Batavorum 1718.

2) *Josephi Lanzoni* opera omnia. Tom. I. pag. 194 Lausannae 1738.

rit ad radices montium et scaturigines. Folia sunt in superficie terrae. Optima est radix alba, intus et extus, fragilis; rubra et nigra nocivae. Calidus est et siccus versus secundum gradum, habet humiditatem superfluam. Aliqui putant, quod in albo caliditas pauca sit, et in reliquis fortissima, at minime, nam alvum laxat. Alii putant, quod si esset calidus vulnera ureret, sed minime urit. Alii vero putant, quod sit valde calidus. Est in ipso vis laxativa nec adstringens, uti volunt." Haec egregia interpretatio valde dissentiens ab illa *Pauli Mongii* et *Joannis Costaei* [1]), quam coram habeo, rem haud dubiam reddit, quin surengian *Avicennae* nec colchicum nostrum nec alia colchici species nota sit. Quem fugit, nullam existere colchici speciem floribus luteis praeditam; quem latet, hujus plantae folia non in superficie terrae prostrata, sed potius erecta? Neque nota est ulla colchici species, quae flores aperiret, antequam alia planta flores suos aperiat. Et *Paulus Aegineta* et *Avicenna* quidem affirmant, hermodactylum vim purgatoriam habere, sed nec acrimoniae nec vis diureticae, quasi facultatum ei peculiarium, mentionem faciunt. Quae vero vires in colchico magis tuto quam vis cathartica observantur. Fortassis ad iridis species hermodactylus jure referendus est, nam plurimis earum in radicibus vim alvum laxandi esse haud ignotum est. Magis incertum adhuc, utrum colchicum sic dictum Illyricum genuina colchici species est, an non, cum hujus descriptionem accuratam nedum habeamus. Quare celeberrimi phytologi, *Linnée*, *Murray*, *Wildenow* [2]) et *Link* hoc colchicum Illyricum inter plantas haud cognitas referunt eodemque jure hermodactyli originem omnino dubiam esse opinantur.

---

1) *Avicennae* libri in re medica omnes. Venetiis 1564. Lib. II. Cap. 252 pag. 520.

2) *Wildenow* enumeratio plantarum horti botanici Berolinensis, Tom. I. pag. 401.

De colchico veneno.

Bulbus colchici recens nauseosus, acerrimus fauces constringit, producit linguae rigorem et stuporem, labiorum calorem, salivae crebriorem affluxum et saepe tussiculam brevem atque inanem. Apices digitorum, quibus radix secanda tenetur, stupidi fiunt et amittunt aliquamdiu debitam sentiendi facultatem. Succus e recentibus radicibus expressus dentibus stuporem et salivae intolerabilem amaritudinem conciliat. Vapor, qui e radicibus recenter contusis sursum fertur, nares valde infestat et pectus irritat. Saporem radicis caute exsiccatae non tam amarum quam scillae maritimae deprehendi, multo magis autem acriorem, adeo ut multam elicuerit salivam et ardorem et illam ingratam sensationem linguae et faucibus inferet, quae a senegae radice efficitur.

Recentem et succi plenam radicem colchici assumtam dirissimis symptomatibus se prodere et dein mortem ipsam inferre veteribus jam cognitum erat, quam ob rem semper inter venena relata est, et nullus fuit, qui ea quasi medicamento uti ausus esset.

Dioscorides (*Lib. IV. Cap.* 84. *pag.* 278.) comesam radicem fungorum more strangulando necare affirmat. Dein (*alexipharm. cap. V. p.* 404) sumto colchico, ait, pruritus in toto corpore excitatur, non secus atque iis, quos scilla aut urtica momorderit; interiora eroduntur, stomachus ingenti gravitate exästuat. Ceterum invalescente malo cruenta ramentis admixta per alvum egeruntur.

Scribonius Largus (*Med. artis principes. Scribon. Largi de compositione medicam. lib. cap.* 193 *p.* 226) ephemeron potum, inquit, protinus totum os prurire facit, velut scilla tactum, postea etiam adurit quasi pipere manducato; secundum haec stomachum quoque mordendo exulcerat, atque qui id biberint, primum ab ore sanguinem exspuunt, deinde per stomachum sanguinem rejiciunt, postea per sellas et jam abundantius eundem dejiciunt. *Galenus* (*at-*

trib. liber de simpl. medic. p. 83) quoque testatur, colchicum vicem fungi strangulatoris facere.

Paulus Aegineta (l. c.) eadem refert symptomata a colchico sumpto ut *Scribonius*, quem *Aëtius*, (l. c.) et *Actuarius* (*med. artis principes. Actuarius de methodo medendi* Lib. V Cap. XII p. 284) in ejus descriptione omnino secuti sunt.

Lanzoni (l. c. p. 195) haec planta, ait, omnibus suis partibus inimica est humanae naturae. Sumpta enim statim labia et ventriculum erodit et exulcerat. Tandem strangulationem excitat, perinde ac si quis fungos comedisset. Ubi pariter ad intestina descendit, ea corrodit et exulcerat, adeo ut brevi temporis spatio sanguis et cum eo ramenta intestinorum per alvum exeant; neque solum alvi fluxum sed quoque vomitum loturae carnis similem concitat.

Störck [1]) drachmas duas radicis succulentae colchici in sedecim partes dissecuit easque exacte cum unciis duabus carnis tostae miscuit et cani mediocri famelico praebuit. Canis avidissimus momento citius cibum devoravit. Retentus est, hoc facto, in cubili suo. Per integram horam canis hilaris et agilis mansit et dein situ naturali decubuit et ilico dormire coepit. Post horam dimidiam somni tranquilli subito evigilavit et sine ullo prorsus molimine totam carnis assumtae quantitatem et sedecim radicis partes per vomitum reddidit. Per horam vigil et alacer fuit et panem et carnem vel aliud quid, quod nutrimento foret, magno ejulatu petiit. Demum situ naturali decubuit et denuo dormivit, sed post pauca minuta artus posteriores tremulo motu agitabantur, convulsum est totum abdomen et summa vi scrobiculum cordis introrsum trahebatur. Anxius surgebat canis et contractis praecordiis evomuit magnam copiam materiae glutinosae, albicantis, horrebat a quocunque cibo oblato et tristis erat.

---

1) *Antonii Störck* libellus, quo demonstratur, colchici autumnalis radicem non solum tuto posse exhiberi hominibus sed et ejus usu curari quandoque morbos difficillimos, qui aliis remediis non cedunt. Vindob. 1763.

Inter continuos artuum tremores et praecordiorum et abdominis diras convulsiones ululare coepit et magnam urinae copiam et multam alvum foetidam, liquidam, fuscam in cubile dimisit. Abdomen et praecordia agitabantur vehementissime, artus tremebant continue et spatio tredecim horarum canis quinquaginta sex vicibus vomuit et quadragesies alvum dejecit. Tandem, viribus penitus exhaustis, inter continuos artuum tremores et diras convulsiones misere interiit canis. Materies per vomitum rejecta in principio erat albicans, tenax, glutinosa, sensim tenuior facta est, dein instar fuit loturae carnis. Quae alvo prodibant, ab initio erant stercoracea, dein simillima iis, quae vomitu expellebantur, tandem sanguine mixta erant. Sub finem partes membranaceae cum intestinis adhuc cohaerentes ex ano pendebant. Aperto abdomine inventus est ventriculus mole exiguus, plenus aqua rubella, hinc inde gangränosus et in aliis partibus inflammatus. Intestina omnia, tam tenuia tam crassa, erant chordae instar contracta et adeo angusta, ut vix stylus tenuis in eorum cavum potuerit induci. Eorum membranae erant adeo tenaces et callosae, ut vix scindi possent, plures earum partes reperiebantur inflammatae aut gangränosae.

Everard Home (t. c. 1816 p. 263) guttas centum et sexaginta vini colchici in venam jugularem canis injecit. Animal motum voluntarium statim abolevit et pulsus et respiratio rariores factae sunt. Pulsus canis vigente secunda valetudine ut plurimum 140 ictuum intra sexagesimam est. Decem sexagesimis post vini colchici injectionem pulsus ad ictus octoginta quatuor lapsus est et viginti praeteritis sexagesimis non nisi sexaginta micatus pulsus habuit. Tremor extremorum. Hora praeterita pulsus ad centum et quinquaginta ictus exsurrexit et valde inaequalis ac tremulans erat. Praeteriit nunc artuum tremor, sed vana vomendi conamina canem invaserunt, quae tandem post horam secundam a vini colchici injectione vomitu bis repetito finita sunt. Canis urinae uncias sesqui reddidit et alvum bis dejecit. Prae-

tergressis horis tribus iterum per os et anum reddebat, adeo autem jam debilis fuit, ut pulsus non tangi potuerit. Ingravescente debilitate et facto vomitu materiae sanguinolentae canis elapsa hora quinta obiit. Ventriculum pituita sanguine mixta repletum et inflammatum reperit *Home*. Duodenum inflammationis vestigiorum haud immune fuit, ejusque morbi symptomata, quamquam leviora, etiam in jejuno et ileo perspicua fuerunt.

Et homines quoque harum radicum usu imprudenti necatos fuisse exempla comprobant, Ambo pueri [1]) in prato ludentes colchici radices devorarunt, sed ambo mortem miserabilem subierunt. Rusticus, qui radicem recentem comedit, a symptomatibus dirissimis statim correptus est. Tam validissime radix eum purgavit, ut vix servari potuerit.

Folia colchici eadem facultate exitiosa praedita sunt. Cum aliis herbis in prato crescentibus collecta cervis mansuetis pro pabulo data fuerunt, sed hi fere omnes post pastum mortui sunt. [2])

Etiam flores hujus plantae haud insontes sunt. Ferunt, Turcas, inquit *Dalechamp*, [3]) floribus colchici uti, cum inebriari volunt. Eos enim vino macerant, quo epoto adeo stupidi redduntur, ut in ecstasin abeant. Et *Garidel* [4]) memorat, ancillam quatuor vel quinque flores colchici assumsisse, eo fine, ut febre intermittente, qua jam diu laboraverat, liberaretur. Proh dolor autem post triduum interiit, cum per totum hoc temporis spatium saevis torminibus ventris et summa anxietate praecordiorum vexata fuisset. Narcotici quid, croci instar, cui ex indole sua valde similes sunt, continere et stamina vim narcoticam involvere videntur.

Se-

---

1) *Jo. Crist. Ehrmann* de colchico autumnali in ***Baldingeri*** sylloge selectorum opusculorum vol. V. p. 66.

2) *Breſslauer Sammlungen* 11 und 12 Bd. 667.

3) *Historia generalis* plantarum. Tom. II. p. 1575. Lugd. Bat. 1587.

4) *Ehrmann* l. c. p. 66.

Semina aequo modo vi letifera pollent. Duo pueri trium et quatuor annorum, *Sigesbeckio* [1]) *auctore*, qui fructus colchici aperientes semina ejus elegerant eaque devorarant, paulo post vomitu vehemente correpti sunt. Alter inter continuum vomitum mox abiit, alter autem lacte assumto servatus est. Alius puer quinque annos natus eadem semina comedit Vomitus acerrimus cum summis faucium et praecordiorum angustiis et respirandi difficultate eum statim infestavit, sed contigit medico miserum sanare.

Antidota, quae veteres huic veneno respondere contenderunt, sunt secundum verba *Dioscoridis* (alexipharmaca l. c.); eos, qui colchicum assumserunt, *vomitione* ac clysteribus adjuvare convenit, sed antequam venenum invalescat; dandum iis decoctum frondium quercus aut serpylli aut malicorii ex lacte propinandum; item succus polygoni aut virgultorum vitis aut rubi aut medullae recentis ferulae aut myrti cum vino. Porro baccae myrti tritae tusaeque et aqua maceratae opem ferunt, si quidem earum dilutum assumatur. Media castanearum tunicula similem effectum praebet, si cruda in aliquo supradictorum succo sumptitetur. *Lacte* asinino aut bubulo calide poto aut in ore retento eximie juvantur, tamque efficaci remedio, ut quibus copia hujusce lactis adsit, non aliud genus auxilii desideretur.

Alio loco (Parabilium lib. II. Cap. 148 p. 122) fimum gallinaceum ex aceto potum vel ex copioso melle delinctum *Dioscorides* commendat.

Scribonius, *Paulus Aegineta*, *Aëtius* et *Actuarius* (locis citatis) eadem laudant remedia, eaque censent aptissima ad virus debellandum.

Prévot, [2]) fere eadem enumerat, imprimis castaneae carnis ejusque tunicae mediae quasi alexi-

---

1) *Breslauer Sammlungen* 25 und 24 Bd. S. 679.
2) *Ioannes Prévotii* medicina pauperum p. 372. Francofurti 1641.

pharmaci valde efficacis mentionem facit. *Lanzoni* (l. c.) lac antidotum maxime praecipuum esse censet.

Temporibus nostris eadem remedia ad effectus colchici intus in corpore urentis vincendos laudantur, quibus in quovis veneficio per acre utimur. Emetica, quae jam *Dioscorides* commendavit, haud dubie praestantissima sunt, nisi jam vomitus spontaneus venenum assumtum reddiderit. Dein involventia et demulcentia, non solum post emetici effectum sed etiam tum, quum tempus justum vomitoria propinandi jam praeterlapsum est, tribuantur; ante omnia lac, porro oleum amygdalarum, olivarum, lini, emulsiones oleosae, decocta avenae, hordei etc.

Störk (l. c. p. 11) acetum his antidotis adscribit et id inter rei aptissima refert, quod quidem redarguerim, cum colchici particulas acres solvat et retineat eoque modo earum actionem in ventriculum et intestina funestam adjuvet. Praeterea parietibus tubi alimentarii a viro inflammatis nullo modo conveniet et malum certe exasperabit.

De colchico remedio.

Störck, cui persuasum erat, plantas sic dictas venenatas non ad mortem inferendam imprudentibus sed potius ad morbos hucusque insanibiles curandos genitas esse, sedulo studuit nova remedia detegere ex iis plantis vel raro vel nunquam in usus medicos internos adhibitis, quarum virtutes et agendi facultates incognitae fuerunt. Harum vires experturus eas parva dosi canibus tribuit et cum videret, magnas perturbationes ab earum usu non fieri, corpus proprium iis vario modo exercuit easque morbis cetera medicamina pertinaciter aspernantibus adhibuit. His periculis edoctus *Störck* has plantas debito modo präparatas et datas non solum non nocere sed potius morbis nulli alii medicamini cedentibus mederi sibi persuasit. Et ita quoque *colchicum autumnale* in usum medicum vocavit, cujus effec-

tus, prout viro illustrissimo se ostenderunt, in medium proferre mihi liceat.

Cordis motum retardat ideoque pulsum rariorem reddit, eumque decem ad duodecim ictibus intra sexagesimam horae privat, quod maxime interpositis horis duodecim post medicinam sumptam apparet. Interdum accidit, ut pulsus inaequalis, intermittens fiat, quo vero facto nemo perterreatur.

Magnum diureticum est. Efficacissime in renes agit eorumque actionem valde stimulat. Hanc ob causam ab initio ardor in viis urinariis sentitur et parum lotii moleste redditur, urina vero copiosius propulsa affectiones memoratae statim tolluntur. Colchico caute adhibito diu et sine ulla molestia urina copiose excernitur.

Tubi alimentarii actionem haud imminuit sed potius adauget, unde aegri colchico utentes cibos appetunt et alvus solito more saepius dejicitur. Major remedii dosis interdum nauseam, irritum vomendi conatum et dein tenesmum excitat.

Secretio tracheae adjuvatur et si mala fuit in bonam convertitur. Sputa tenacia, glutinosa, cocta fiunt, promoventur et facili negotio ejiciuntur. Tussis hoc modo mitigatur et respiratio libera fit.

Denique etiam vasa resorbentia intensiori vi instruuntur, humores hic illucve contractos stagnantes removent et organa obstructa et ad summum distenta solvuntur et ad naturalem statum rediguntur.

De colchici usu in hydrope.

Linneé [1]) primus colchicum diureticum nominavit ejusque usum in hydrope commemoravit, sed nullo modo auctoris, qui primus hoc remedium hydropicis attulit, nec modi quo colchicum adhibendum sit, nec medicinam indicantium mentionem fecit.

Störck [2]) cum videret, colchicum tam egregie

---

[1]) *Linnaei* amoenitates academicae. Vol. V. p. 159.

[2]) *l. c.* et *Libellus*, quo continuantur experimenta et observationes circa nova sua medicamenta. Vindobonae 1765.

ad urinam valere, consilium cepit eo utendi in hydrope, isto morbo diro, medicaminum praestantissimorum vim saepissime spernente. Neque non effectus laudabiles testabantur spem non falsam fuisse sed potius eventum exspectationem longe superavisse.

Ab initio *Störck* solummodo iis colchicum propinavit, quorum morbus remediis alias hydropi maxime respondentibus pertinaciter repugnabat; dein vero rebus bene cedentibus statim a principio neglectis aliis medicaminibus colchicum aegris dedit. Praeterea et hujus viri et clarissimi *Collin* [1]) pericula in nosocomio Vindobonensi facta satis docuerunt: *colchici autumnalis radicem non solum posse tuto exhiberi hominibus sed et ejus usu curari quandoque morbos difficillimos, qui aliis remediis non cedant.*

Cuivis quoque hydropis diffusi speciei colchicum praesidio est, et *acuto* et *chronico.*

Störck (Contin. exper. cas. 1. p. 143) memoriae tradidit historiam duorum infantum, quos scarlatina laborantes hydrops statim occupavit. Morbo citissime increscente remediisque nil valentibus puella novem annorum suffocatione brevi obiit. Puer, octo annorum multum tussivit, pectore anxius erat, scrotum fere infantis caput aequabat, penis magnitudo pellucido tumore manifesta haud mediocris, urina pauca erat. Sed oxymellis colchici usu infans, cujus mors quovis momento exspectabatur, intra quatuordecim dies perfecte convaluit.

Neque in hydrope chronico, hydrothorace, ascite et anasarca colchicum non convenienter agit. Non est quod credas, morbi initium aut morbum recentem, levem a *Störck* et *Collin* curatum sed potius tibi persuadeas, hydropes colchici virtute plane victos fuisse graviores, contumaces et causae remotae partim immorantes. Liceat mihi enumeratis morbi formis a viris illustrissimis observatis com-

---

1) *Henrici Josephi Collin* observationum circa morbos acutos et chronicos factarum Pars II. Viennae 1772.

probare hos morbos jure inter pessimos referendos esse.

Urina paucissima erat et guttatim haud raro cum molesta stranguria defluxit; cutis arida, colore terreo erat, facies pallida, labia livida. Frigus cadaverosum. Alvus tarda, rara, appetitus prostratus, pulsus debilis, celer, inaequalis, intermittens; febris lenta, tussis continua, molesta, summa macies et tanta debilitas, ut videretur, ea prohibitura esse, quominus aeger medicaminibus acribus uteretur. Mors omni momento exspectata omnem curationis spem frustrabatur. Huic adhuc supervenerunt: respiratio anxia, difficilis, dein orthopnoea; aegroti hiante ore äera petiebant, nec supine nec in latus decumbere potuerunt et trunco erecto et antrorsum incurvati in lecto sedere cogebantur. Somnus anxius, brevis, quem pavor, subita evigilatio statim intercepit, et miseri metuentes, ne suffocarentur, somnum refugerunt.

Aqua in abdomine non solum percutiendo facilis cognitu sed venter adeo tensus erat, ut respirationem difficillimam redderet.

Corpus et extrema tumuerant, aegri se movendi facultate carentes immobiles jacebant, facies tam inflata, ut oculi, quasi aquis obruti vix aperiri possent.

Casibus nonnullis vel una vel altera hydropis species sola exstitit, saepius vero ascites cum anasarca et hae ambae cum hydrothorace junctae erant.

Casum adhuc referam memoria dignissimum, quem celeberrimus *Störck* in continuatione experimentorum p. 157 tradidit: femina faciem miro modo inflatam habuit, ita ut neque oculos attollere neque os aperire neque manducare posset. Dein accesserunt vertigo et sopor, et timendum erat, ne quid seri effusi intus in cerebro collectum esset. Nullam opem a remediis exspectatam *Störck* vidit. Tum colchicum exhibitum urinam atque alvum movebat, aegra molestum pruritum in facie sensit, tumor mox concidit et intra dies decem convaluit.

Causae, quae hydropem efficiunt, ob variam

naturam pejorem melioremve prognosin exhibent. Nemo autem negabit, eas, quas nunc enumerabo, illis adscribendas esse, quas medicus non flocci faciat oportet. Plerumque hydrops, cui medicinam suam admovit *Störck*, ex febre intermittente quotidiana vel tertiana vel quartana vel subito medicaminibus, arcanis sic dictis, suppressa aut cuivis remedio pertinaciter repugnante et diutissime perseverante originem cepit. Usque eo permansit febris intermittens quotidiana aut quartana, donec per unum et dimidium annum aegri ea vexarentur et viscerum abdominalium obstructiones et indurationes, quas febris intermittens procreare consuevit, exorirentur. Plures casus commemorant *Störck* et *Collin*, in quibus corpus durum, mobile in hypochondrio sinistro apparebat vel digiti tactu facile cognitu erat. Iidem viri alias quoque observationes attulerunt (*Störck* libell. Cas. 9 p. 56 et *Collin* l. c. cas. 30 p. 95), quibus magnum hepatis tumorem et dein icterum simul cum hydrope universali ex febre intermittente tertiana exortos esse et his ipsis malis omnibus nihilosecius sanitatem redditam esse colchici ope docent. Quid, quod, reversa iterum febre intermittente hydrops et morbus primarius una sanati sunt (*Collin* p. 27). Alio casu oblato morbus puerperalis ascitem reliquit, qui omnibus remediis repugnans pedum oedema et spiritum difficilem sibi adjunxit, attamen a colchico omnino sublatus est.

Störck (p. 36, 40 et 49) et *Planchon* [1]) asserunt, se in phthisicis, qui in hydropem inciderunt, colchicum tentavisse, quo adhibito non solum aquam removisse, sed vires auxisse, cibi cupiditatem restituisse vitamque longiorem reddidisse.

Kollmann (*Störk* cont. exper. p. 246) hydropicum sanavit colchici opera, qui ex abusu spiritus in morbum inciderat. *Marges* [2]) feminam curavit, quae,

---

[1]) *Commentarii de rebus* in scientia naturali et medicina gestis. Vol. 18 part. II. p. 217 seq.

[2]) *Ejusd. lib.* Vol. 16. I. p. 60.

licet hydrope universali affecta esset, attamen conceptionem subiit et gravida facta est. Orta graviditate omnia in pejus conversa sunt et imminente periculo maximo solum colchicum mortem avertere et secundam valetudinem restituere potuit, cum omnia remedia ante tentata vana fuerint.

Neque silentio transeundum est, morbum hydropicum interdum jam per plures menses annosque (*Collin* p. 17) invaluisse et adeo pertinacem fuisse, ut *Collin* metuens, ne aeger ob ascitem ingentem suffocaretur, paracenthesin abdominis institueret et novies aquam canula evacuaret. Tum demum tumor plane imminutus est (p. 115). Altero casu (p. 122) ter institueretur paracenthesis necesse erat.

Neque minus annotandum, alia medicamina, purgantia et diuretica, ut scillam, jam antea, sed incassum, adhibita fuisse.

Cuique aetati colchicum convenienter agit. *Planchon* [1] duas observationes refert hydropis perfecte sanati, qua duos infantes, quorum alter viginti duos menses compleverat et alter tres annos natus erat, felicissime restituit. *Marges* [2]) aliud exemplum memoriae tradidit, infantem agentem annum quartum ascite laborantem brevi tempore malo suo liberatum fuisse. Et singulae curationes, quas perfecerunt *Störck* et *Collin* ab anno octavo ad nonagesimum usque progrediuntur. Vetula nonaginta annorum, quae sui penitus nescia erat, nec audire, nec loqui nec ullam membrum movere (quasi insultu apoplectico detenta) potuit, respirationem stertorosam agebat, praestans pulsum debilem, inaquaelem, intermittentem, et dum tussiebat audiebatur ingens strepitus materiae mobilis, qua pectus repletum erat. Praeterea totum corpus eximie intumuerat et abdomen aquae plenissimum tensumque erat. Remedia sputum et urinam moventia viresque excitantia frustra aegrae exhibita sunt. Adhibito colchico autem uri-

---

1) *Ejusd. lib.* Vol. 18 part. II. p. 217 et seq.
2) *Ejusd. lib.* Vol. 16 part. I. pag. 60.

na copiosissime reddebatur et altera die aegra jam sui magis compos erat. Inter paucos dies ad rogata respondit, liberius respiravit et artus aliquantulum movebat. Tumor mollior et pulsus sat aequalis erat. Aegra quotidie se melius habuit et spatio trium hebdomadum sanitatem recepit (*Störck* Libell. p. 66).

Sexus differentia nihil discriminis fecit.

Ad *phänomena*, quae colchici utilitatem comprobant, pertinent: urina ante parce et guttatim defluens nunc copiosius promovetur, pallida aut fusca, pellucida aut turbida, sedimentosa est. Urina quae ab initio turbida est et dein sedimentum crassum deponit, semper indicio est, rem bene cedere. Copia, quam hydropici, colchico utentes intra diem excernunt, libras decem, duodecim, quatuordecim et sedecim (*Collin* cas. 1.) aequat. Stranguria haud raro liberiorem urinae secretionem antecedit, sed statim desinit, urina copiosius reddita, Cutis ac facies colorem naturalem trahit et calore extremitates rursus afficiuntur. Sudor quoque haud raro supervenit et curationi favet. Teste *Baraillon* [1]) ptyalismus uber sed semper salutaris in casibus nonnullis accedit. Alvus pluries per diem dejicitur et descendunt foetida, glutinosa. Cibos appetere incipiunt aegri et sitis magna, de qua antea conquesti sunt, vigente ciborum cupiditate abit. Pulsus fortior, aequalis et naturalis fit, febris finitur et vires augentur. Respiratio nunc liberior est, in utrumque latus cubare possunt, noctes quietae sunt et faciliore longioreque somno aegroti gaudent. Abdomen non tam tensum quam antea, minusque amplum est, concidit et ad statum naturalem revertitur. Corpus tandem tumore caret, aperiuntur oculi et artus mobiliores fiunt. Viscerum obstructiones eorumque indurationes, ubi conspiciuntur, absunt,

---

[1]) *Commentarii* de rebus in scientia naturali et medicina gestis. Vol. XXXIII. Part. I. p. 135.

neque tumores antea manifesti et prominentes tactu ullo modo cognosci possunt.

Et hasce mutationes felices aegri *tempore brevi* subeunt, nam interpositis diebus quatuordecim hydropem ita sanari a *Störck* et *Collin* comprobatur. Majus vel minus temporis spatium, quod curatio replet, a mali natura, ejus causa, aegri habitu et aetate et tempore, per quod jam hydrops fuit, pendet et intra hebdomades duas et decem absolvitur.

Ut intelligeret, utrum secunda valetudo hac ratione aegro reddita diuturna neque brevis esset, an colchici usus aliquid detrimenti adferret, *Störck* nonnullos aegrotorum per tres menses in nosocomio retinuit. Sed sanitate nihil mutata rebus domesticis optime praeesse potuerunt.

Eventus adeo fausti, quos medici e libro a *Störck* hac de re scripto et edito cognoverunt, omnes impulerunt, ut tentarent, an eadem methodo hydropicis opem frustra saepe petitam adferre possent. Ideoque ex periculis crebro institutis collegerunt, quae nunc sequuntur: *Dr. Zach*, nosocomii magni Pestinensis protomedicus, hoc remedio prosperrimo cum successu in hydrope usus est et quoque *Schinz* et *Hirzel*, se eosdem effectus ex colchici usu vidisse confirmant. (*Störck* Cont. p. 158). *Kollmann* complures hydropicos hujus remedii virtute sanavit (*Störk* Cont. exp. p. 250).

Heuermann [1]) colchicum inter remedia ad hydropem debellandum praestantissima refert. Homines sex ascite et pedum oedemate laborantes perfecte sanavit, cum nulla spes, eorum sanitatem restituendi, superesset. Affirmat quoque se nullum effectum funestum adhibiti hujus remedii vidisse.

Scopoli [2]) vetulam sexaginta quinque annorum

---

1) *Heuermann* vermischte Bemerkungen und Untersuchungen der ausübenden Arzneiwissenschaft. Bd. 1. S. 240. Copenhagen, 1765.

2) *Joannis Antonii Scopoli Flora Carniolica* Tom. 1. p. 265. Vindob. 1772.

per breve tempus colchici bulbum usam et morbo hydropico liberatam fuisse commemorat.

Marges (l. c.) complurium exemplorum mentionem facit, quibus a se hydropem exhibita colchici radice plane sublatum atque ita vitam ac sanitatem servatas fuisse confirmat. *Planchon* (l. c.) hoc medicamen quoque saepius in hydrope in usum vocavit et quidem tanto cum effectu, ut *Störckium*, cui colchicum quam maxime diureticum esse videtur, lubentur secutus sit.

Theden[1]) in casibus gravioribus, jam omnibus rebus desperatis, adhibitum colchicum optime profecisse testatus est.

Baraillon (l. c.) eadem medicina tentata, postquam multa alia remedia frustra adhibita erant, efficacissime aegrotis succurrisse memoriae prodidit.

Vogel[2]) hydropem peritonaei gravissimum colchico vicit, neque ullum ex magna medicaminis dosi damnum observavit.

Plenk[3]) denique memorat, se colchicum in hydrope articuli genu utiliter bis adhibuisse.

Neque silentio praeteribo illos, qui colchico vim diureticam negant, dicentes: se nullum effectum laudabilem hujus radicis expertos fuisse.

Primum *Kratochwill*[4]) in dissertatione sua de colchici autumnalis radice, Francofurti ad Viadrum 1764, longe aliam sententiam *Störckianae* plane contrariam protulit. Comprobat, colchicum non tanta vi praeditum sed potius debile esse, neque dosi magna assumtum effectus virulentos producere. Et quo *Störkii* sententiam refutet, se non solum radicem recentem diu manibus tenuisse et in frustula dissectam manducasse, quin, duas tresve drachmas ejus comedisse, neque vel minimum in digitis stuporem

---

1) *Theden's* Unterricht für Unterwundärzte 2. Th. 176. S.

2) *Quarin* animadversiones practicae pag. 168. Viennae, 1786.

3) *Commentarii* de rebus etc. Vol. XXI. Part. 3. p. 515.

4) Ej. lib. Vol. XIII. Part 1. p. 150.

vel in lingua gravitatem aut toto corpore hostilem effectum aut copiosius urinae profluvium percepisse contendit. In oxymelle colchico nihil fere periclitatus est, semper dubitans, utrum largior diuresis, si forsan accideret, a solo oxymelle an a colchico derivanda esset.

Illustrissimus *Haller* [1]) dissertationem *Kratochwilli* perlustrans ejus opinioni assentit simulque confitetur, sibi integram radicem devoranti eam nullius saporis et acrimoniae visam fuisse.

Bergius [2]) asserit, se colchicum autumnale in hydrope tot laudibus celebratam aegrotis hydropicis frequenter dedisse. Quibus etiam oxymel e radicibus paratum et ab exteris apportatum saepe praebitum fuisse, quamquam usus scillae multo efficacior esset.

Quarin [3]) narrat se saepius hoc remedium, sed frustra, asciticis exhibuisse.

Thilenius [4]) denique colchico vim diureticam omnino denegat et illud in hydrocele curanda ad diuresin efficiendam nil valere confitetur.

Verum enim colchici vis salubris, quanta est, nunquam penitus cognosci potest nisi certis quibusdam conditionibus. Varia est ejus efficacia pro:

Tempore, quo radix eruta sit. Necesse est ea initio Máji, quo succi plena indeque maxime potens est, colligatur; deprehenditur minus acris Junio, quo planta semina jam protulit. Nihilque amaritudinis vel acrimoniae habet, imo subdulcis est, denique sapore fatuo reperitur autumno, dum florem jam ediderit. Id quod a *Maranto* [5]) jam confirmatum magis comprobat auctoritas *Halleri* (l. c.) dicentis,

---

1) *Halleri* historia stirpium indigenarum Helvetiae Tom. II. p. 126.

2) *Petr. Jon. Bergii* materia medica e regno vegetabili p. 291. Holmiae 1778.

3) *Quarin* animadversiones practicae p. 163.

4) *Commentarii* de rebus etc. Vol. XXXII. Part. 4. p. 640.

5) *Murray's* Arzneyvorrath Bd. 5. S. 203.

se radicem colchici tempore autumni absque sapore et acrimonia invenisse.

Secundum ad radicis *aetatem* diligenter attendendum. Recens acris est, annosa farinacea, saporis obtusi et impune comedi potest. Hanc ob causam acetum et oxymel colchici, quae ex radice recenti parantur, pulverem contusione bulbi exsiccati paratum virtute diuretica longe superant, unde facile patet, cur *Heuermann* (l. c.) hydropicis quatuor vel octo cochlearia parva pulveris per diem sine ullo damno dare potuerit. Quod autem *Ludwig* testatur,[1]) radices siccas et di*u* in pharmacopolis conservatas hermodactylis substitui, id adhuc magis comprobat, radices vetustiores acrimonia et virtute specifica omnino destitutas esse. At praecipua vis medicaminum acrium ideoque colchici, quod in eorum numero merito habetur, in volatili quadam et subtili parte posita esse videtur, quae exsiccando dissipatur.

Tertium, quo efficacia colchici non minuitur, in ejus *conservandi modo rationeque* consistit. Si caute exsiccantur radices, acri, quo praeditae sunt, non privantur et hoc per sat longum temporis spatium retinent. Si vero solis radiis vel calori furni exponuntur, omnis acrimoniae immunes fiunt; sapor earum farinaceus et subdulcis est et impune comedi possunt, quare nemo diffidat *Prospero Alpino*[2]) narranti: mulieres Aegyptiacas, dum eunt dormitum, ad decem bulbos vulgares, pro hermodactylis a pharmacopöis nostris receptos, quos aliqui colchicum potius esse existimant, contostos mandere atque ejusmodi cibum plures dies quindecim ad viginti continuare. Ex quorum usu, quod nostris mirum videbitur, nullae, neque per alvum neque per os, evacuationes efficiuntur, omninoque nulla molestia mulieres vexantur. Quae ut pinguescant bulbis ves-

---

1) *Adversaria medico-practica* Vol. II. part. 2 p. 724.

2) *Prosperi Alpini* medicina Aegyptiorum. Lugduni Batavorum 1718. Pag. 254 et 255.

cuntur. Descriptio horum bulborum ab *Alpino* proposita nos vix dubitare sinit, eos colchici speciei radices esse, nec difficile explanatu est, cur magno numero et diutine sine ullo nocumento comedi possint, cum contostione acre, quod radicibus inest, omnino deleatur et partes farinaceae solae remaneant. Omnia enim, quae principio acri pollent, igne eo privantur et sic *Jatropha Manihot* et *Arum venenatum Surinamense*, quae recentes inter venena dirissima referuntur, contostae aut coctae veneni omnino expertes fiunt, ita ut vel nutrimento aptissimo inserviant vel ad saccharum parandum multum conferant. Et id, quod breviori tempore contostione perficitur, longiori mora digestione per acetum vini, spiritum rectificatum et vinum atque adeo per aquam simplicem peragitur. *Bergius* (l. c.) bulbos recentes radula rasos in aquam recentem misit et sedulo agitavit. Subsequente quiete amylum fundum petiit et a furfuribus supernatantibus separatum est. Amylum album, friabile et post debitam lotionem non acre est. Repetitis vicibus gallinae scrupulum hujus amyli *Bergius* dedit, unde illa nullum incommodum experta fuit. Ipse quoque colchici radices cum aceto concentrato, spiritu rectificato et cum vino leni calore per dies sex digessi. Remoto dein fluido, quo acre omne continebatur, radices siccatas, farinaceas, sapore fatuo et glutinante reperi. Dein eas manducavi ac deglutivi neque ullam turbam in corpore adverti. Maxime igitur necesse est, radices, quas aliquis diutius conservare velit, in loco sicco et frigido habere.

Sed valde verisimile mihi videtur, saepius hac in re peccatum esse nec satisfecisse medicos conditionibus, quae observentur necesse est. *Kratochwill* rem valde obiter tractavit, nec temporis, quo radix eruta erat, mentionem facit nec experimenta circa vim colchici diurecticam supra unicum diem continuavit. Neminem autem latet, medicamina efficacissima in morbis diuturnis effectus suos saepe non nisi post longius tempus ostendere. Quid, quod *Kratochwill* ipsi sibi repugnat! Nam quamquam

testatur, se radicem minime acrem et virulentam reperiisse et a pastu drachmarum quatuor nullam turbam in corpore sensisse, tamen sub finem adjecit se observasse, colchicum canibus omnino letiferum fuisse. Quo modo autem colchici radix, si, ut affirmat *Kratochwill*, debilis et innoxia esset atque ab hominibus impune comedi posset, canibus semper ac statim mortem inferret, nisi hoc principio acri, quod ei inest, fieret? Et canes venena acria hominibus ipsis facilius ferre neminem fugit, idque inde explanandum esse videtur, quod statim venenum vomitu, qui facillime in iis suscitatur, edant ideoque ipsi provideant, ne illud ventriculo perniciosum esse possit. At *Kratochwill* hoc experimento ipso venenosam colchici naturam fortius defendit, quam eam longo sermone refutavit. *Halleri* testimonium nil contra colchici efficaciam probare jam antea demonstravi. Et eventus infausti, quos *Bergius* a colchici usu ortos esse narrat, in eo positi esse videntur, quod remedium illud ab exteris apportatum jam multum efficaciae amiserat.

Sequuntur autem ex iis, quae hactenus de colchici usu in hydrope a nobis disputata sunt, haec:

Magnum diureticum est et quoque in alvum agit, ita ut pluries per diem dejiciatur, et cum plerumque in hydrope salutare sit, alvum liberam habere, colchicum duplici modo ei prodest.

Vis solvens colchici ejus virtuti diurecticae fere aequiparanda est; abdominalium viscerum obstructiones valide reserat, itaque ad causam una cum effectu tollendam aptum est.

Apta dosi propinatum ventriculum non infestat, nec nauseam nec vomitum nec anorexiam nec apepsiam suscitat (*Stoll*[1]) et *Quarin* l. c.); ergo scillae incommodis caret ideoque eo utendum, si aegri squillam perferre nequeunt.

Nullam turbam in corpore excitat, nullus malus

---

1) *Stoll* praelectiones in diversos morbos chronicos Vol. I. p. 69.

effectus ex ejus usu prodit et praesente quoque febre, cui ipsi non minus medetur, exhiberi potest.

Verum negari non potest, colchicum omnibus hydropicis convenire et nunquam id negligendum esse, si alia medicamina, alias efficacissima, hoc in morbo incassum adhibita et omnia in morbo desperato futilia fuere.

De colchici usu in asthmate et catarrho chronico.

Experimenta a *Störckio* facta extra dubitationem posuerunt, colchicum et in carrtarho pulmonum chronico et in asthmati humido magnam praebere utilitatem. Saepe ad hoc remedium confugit in tussi annosa, valde molesta, laboriosa, fere continua, inani, qua nulla reddebantur sputa, et in dyspnoea magna, interdum tanta, ut aeger nec fortius ingredi nec gradus adscendere posset. Sputum copiosum, largum, tenax prodibat, quo ejecto respiratio libera facta et pectus levatum est. *Göritz* [1]) in asthmati hypochondriaco, jam ad magnum gradum allato, colchici ope perfectam sanationem effecit.

De colchici usu in arthritide.

Arcanum, quod Sedani paratur, et cui nomen tributum est, *eau médicinale de M. Husson, ancien officier au service de France*, jam ex pluribus annis specificum antarthriticum vocatum est. Zedula ei adjecta, quae usum ejus edocere debet, arthritidem non inter morbos refert, quibus hoc remedium maxime respondeat, licet eam quoque inter magnam morborum copiam, cui arcanum prospicit, enumeret.

---

1) *Büchneri* miscellanea physico. mathematica; orbis annui 1728 p. 1212.

Prima notita, quam medicus de hujus remedii efficacia et virtute laudabili dedit, est illa, quam *Dr. Wolff*, physicus Varsoviae in Illustrissimi *Hufeland* memoriis medicinae practicae 1804, P. 4. pag. 136 in lucem emisit. Tum in opere suo de *nervorum affectibus*, quod eodem adhuc anno edidit, fusius de hac re locutus est et supplementum observationibus suis adjecit in Tom. 24. memoriarum *Hufelandii* part. 2 pag. 92. Expertus erat enim *Wolff*, complures arthriticos Varsoviae degentes jam dudum hoc remedio usos fuisse et semper cum perfecto et fere momentaneo levamine, ita ut nullum eventum funestum ex tali medicina proficisci vidissent. Unde excitatus caute eandem medicinam adhibuit et cum sese compertissimum per sua experimenta haberet: arcanum debito modo exhibitum non nocere, sed potius morbo succurrere, cujus symptomatibus aegrum tam insigniter cruciantibus medicum saepissime medicamina irrita admovere, in lucem haec emisit. Elapsis abhinc nonnullis annis hoc arcanum in Anglia a permultis in auxilium vocatum et fere remedium antarthriticum universale appellatum est, et in operibus quoque medicorum hujus regionis, ut in notissimo opere *Dr. Roberti Thomas: the modern practice of physic exhibiting the characters, causes, symptoms, prognostics morbid appeareas and improwed method of treating the diseases of all climates*" medicaminibus arthritidem efficacissime debellantibus adnumerantur. Imprimis vero *Everard Home* [1]) hoc

---

1) *Experiments and observations to prove that the beneficiat effects of many medicines are produced through the medium of the circulating blood, more particulary that of the colchicum autumnale upon the gout. By Everard Home.* *Philosophicae Transactions* etc. for the year 1816. Part. II. p. 257.

An appendix to a paper on the effects of the colchicum autumnale on gout by Everard Home. Philos. Transactions 1816 Part. II. p. 262.

Some farther observations on the use of the colchicum autumnale in gout by E. Home. Philos. Trans. 1817. II. p. 262.

hoc arcanum in semet ipso et in familiaribus suis adhibuit.

Ea, quae ex horum scriptis colligi possunt, sunt: remedium quoque tempore morbi, et ingruente paroxysmo et eo jam ex aliquo tempore saeviente propinari potest, nam impetu arthritidis, qui ad summum gradum jam pervenit, et initio ejus arcanum semper utilissimum se praebet. Aegro vero jucundius et rei ipsi aptius est, incipiente morbi impetu medicamen tribuere et hoc modo arthritidis symptomata statim tollere.

Phaenomena, quae ex arcani usu prodeunt, sunt: imminuitur dolor et omnino exstinguitur breviori vel longiori mora. Calor vitalis augetur et sitis simul cum eo intenditur. Aeger quatuor vel septem horis post medicamen assumtum in somnum quietum incidit et ex eo expergiscens cutem plerumque sudore madidam et se a doloribus omnino liberatum sentit. Nausea et irrita vomendi conamina in nonnullis unamquamque remedii dosin sequuntur, sicut quoque frequentior desidendi animus saepe advertitur. Ingrata sensatio interdum per viginti quatuor vel quadraginta octo horas remanet, quae vero non impedit, quominus aeger artibus uti possit. Decedit enim tumor articulorum, et ita succurrit medicina aegro, ut pedibus, quos antea non movere posset, instare et commode meare, vel si manus morbi sedes fuit, cum ea quodque negotium subire possit.

Tempus, quod aeger doloribus liberatus vivit, varii spatii est et per menses duos, tres, sexve porrigitur et generatim per morbum ipsum statuitur, qui ocius seriusve novum impetum facere consuevit.

Dosis, quam aeger simul assumit, est de guttis sexaginta, vel si jam dudum remedio uti solitus est, de guttis nonaginta. Raro per talem nausea et vomituritiones efficiuntur, nec alvum dejiciendi desiderium frequens nec sedes aquosae. Plerumque ad omnia morbi vestigia tollenda sufficit, si vero, quod accidit, dolor levis remaneat, elapsis horis duodecim nova dosis, quae pro malo minor vel major sit, tribuatur. — *Husson* suadet, ut una dosi drachmae

duae (duo cochlearia parva, Theelöffel) accipiantur, unde arcanum suum in vasculis vitreis, quae circa drachmas duas continent, vendit. Tanta dosis autem et vomitum et imprimis diarrhoeam vehementem ciet, unde *Husson* arcanum suum dracticis adnumerat. Experientia autem docet, has evacuationes vehementes morbo non convenienter agere, quare arcanum tali dosi propinandum est quali suas vires specificas antarthriticas exserere et modum vitae anomalum in partibus affectis in normalem (quo modo nescimus) convertere potest.

Medicamentum optime vesperi ante decubitum praebetur, si stomachus vel ciborum expers vel leviter iis repletus est. Ubi vero symptomata urgent, ubi dolores vehementissimi aegrum torquent, alio quovis diei tempore medicina praebenda est. — Necesse est aeger proximo die non multum cibum appetat et tenuem victum observet, licet non oporteat, aegrum tam tenue vivere quam *Husson* id praescribat. Nam jusculum, carnem vitulinam vel gallinarum elixam et ova assumere potest, quibus infusum herbae menthae, melissae vel florum chamomillae adjungere convenit.

Wolff et *Home* historias complurium aegrotorum memoriae tradiderunt, quibus demonstratur, hoc remedium tuto et per longum tempus exhiberi posse.

Septuagenarius podagra jam dudum laborans ex annis duodecim hoc arcano usus est et semper secunda valetudine gaudebat. Podagra affectus statim ad remedium confugit et ejus ope morbi impetum avertit. Tunc omnino a morbo liberatus est, donec novus paroxysmus eum invaserit, quod interpositis mensibus sex, novem vel duodecim fieri consuevit. Bonam corporis indolem prae se fert, nullam functionum perturbationem ab hujus remedii usu unquam animadvertit et bene pedibus ingredi potest. [1])

---

[1]) Journal der praktischen Heilkunde von C. W. Hufeland. 18 Bd. 4 St. 136 S. (Jahrgang 1804.)

Celeberrimus *Banks* (Philos. Trans. 1817 p. 268), societatis regiae Londinensis praeses, aquae Hussonii usum ex annis septem expertus est, ita ut nunquam damnum ex eo ortum animadverteret.

Home quoque ipse (Ph. Trans. 1816 P. II. p. 262) ex annis podagra laborans hoc medicamen sibi semper cum perfecto aegritudinis levamine et absque omni nocumento exhibuit.

Omnes observationes, quas viri illustres fecerunt, comprobant, formam, quam arthritis legitima induit, in re nil mutare et aegrum vel podagra vel gonagra vel chirargra laborantem semper remedii utilitatem experiri. Nemo autem sibi persuadeat, morbum ipsum, arthritidem, hoc modo sanari; sed modo symptomata ejus, quae aegrum valde molestant et vexant, modo adhuc incognito perfecte tolluntur. (Rheumatismo chronico, imprimis ischiadi, remedium nunquam ulli praesidio fuit. Hufelandii memoriar. med. practicae Tom. 18 part. 4. pag. 137).

Illustrissimus *Hufeland* verbis, quae *Wolff* hac de re fecit, annotationem adjecit (*Hufel.* memor. med. pract. Vol. 18. part. 4. pag. 141), qua monet, medicamini, cujus virtus nondum satis explorata esset, cujusque partes constitutivae aequo modo incognitae essent, non tantam fidem haberi posse, cum hominem videret, qui paroxysmo arthritidis vehementi laborans ad arcanum statim confugit et a doloribus aliisque morbi signis liberatus sed paralysi pedum affectus sit. Hac admonitione sapientissima intentus maxime incubuit *Wolff*, ut experiatur, an remedium talem funestum effectum habere posset. Sed ei contigit comperire, paralysin neutiquam aquae Hussonii sed potius aliarum causarum sequelam exspectatam fuisse (Hufel. memor. med. pract. Tom. 24. St. 2. p. 92). *Guilbert* [1]) asserit,

---

[1]) *Dictionnaire des sciences médicales.* Tome 19 p. 201. Paris, 1817.

aquam Hussonii nonnullis quidem podagricis prospexisse, multo autem frequentius nocuisse, ita ut in primis tantum morbi impetibus aegro vere prodesse posset. Si vero arthritis jam multis annis inveterasset vel a majoribus per successionem descendisset, tum etiam hujus remedii opera non sanari posset et potius aegrum usque ad mortem comitaretur. Et verum et a *Sydenham* jam confirmatum esse, ait, purgantia drastica arthritidi non convenire et, si quovis anni tempore adhiberentur, ita parum votis respondere, ut malum, quod debuerat averruncare, accresceret. Et ut opinionem suam adhuc firmiorem reddat, observationem *Hunteri* adjicit, qua arcani nocumentum demonstrare sperat. „Vir podagra affectus jam bis et semper laudabili cum successu arcanum acceperat, et tertia vice ad id refugit; sed vomitum dirum, hypercatharsin et sudores frigidos passus est, quae sola opii virtute tollebantur. Dolores arthritici remanserunt."

Nemo adhuc contendit vel unquam contendet, hoc remedio arthritidem ipsam sanari posse, solum symptomata ejus molesta eo tolluntur. Et cum haud ignotum sit, purgantia drastica arthritidi non convenire, arcanum dosi tantum exigua et tanta propinandum est, ut nec vomitum nec catharsin cieat. Observatio *Hunteri*, ea qua sententiam suam affirmari existimat *Guilbert*, luce clarius demonstrat, dosin aquae Hussonii, quam aeger tertia vice accepit, tantam fuisse, ut medicamentum per copiam suam effectus tristes producere oporteret. Sudores enim gelidi, hyperemesis et continens desidendi conatus effectus certi veneficii per acre quoddam sunt. Quem fugit, substantias pro dosi varia vel medicamina saluberrima vel venena esse et quis dubitat, aquam Hussonii, quae acre quoddam continet, dosi justo majori veneni more acturam esse?

Omnes, qui hujus arcani efficaciam miram intellexerunt, omni ope atque opera enisi sunt, ut compositionem ejus detegerent et usus remedii praestantissimi divulgaretur.

Parmentier et *Cadet* anno 1782 in hoc reme-

dium inquisiverunt, tamen nihil aliud experti sunt, nisi metallum quoddam ab eo non contineri, sed substantiam vegetabilem ei inesse. Quae vero illa planta esset, cujus partes vini Hispanici ope extractae essent, iis non contigit invenire. *Wolff* (Hufel. memor. med. pract. Tom. 18. Part. 4. p. 138) etiam pharmacopolam jussit hocce arcanum perquirere, sed nihil diversum ab his, quae *Parmentier* et *Cadet* experti sunt, comperit. Sapor, color et effectus aquae Hussonii eum induxerunt, ut opinionem conciperet, arcanum nil nisi tincturam gratiolae esse.

Alyon [1]) sibi quoque persuasum habet, esse tincturam gratiolae partem constitutivam principalem hujus arcani.

Guilbert (l. c.) ita de hac re disseruit: aliqui contenderunt, ait, aquam Hussonii nil nisi colchici tincturam esse, sed haec tinctura et aqua Hussonii reagentibus submissae non easdem mutationes subeunt. Tinctura gratiolae aquae Hussonii multo magis assimilat.

Res vero difficillima via analytica detegere, quae planta sit, cujus partes in solutione qualibet continentur, nisi principium sui generis, quod iis inest, hoc fieri sinit. Et haec difficultas et incertitudo, cujus nec ulla talis analysis immunis est, impulerunt *Everard Home*, ut alio modo, per similitudinem effectuum in corpore animali, substantiam cognosceret, quae in aqua Hussonii valeret. Et ex periculis suis sibi compertissimum habet, aquam Hussonii et infusum colchici vinosum idem esse et jure alterum alteri substitui posse. Liceat mihi experimenta referre, quae, ut se certum redderet, circa hanc rem fecit.

Canibus duobus, qui eodem tempore parti erant, alteri guttas centum sexaginta aquae Hussonii et alteri eandem copiam vini colchici in ventriculum injecit. In ambobus animadvertebantur vo-

---

1) Aug. Ferd. Wolff über die Nervenübel S. 167. Berlin, 1804.

mitus; sedes frequentes et urina copiosissime emissa et novem horis post mors. Sectio in utroque inflammationem ventriculi atque intestinorum monstrabat.

Guttae triginta aquae Hussonii in venam jugularem canis immissae sunt. Effectus, qui ex iis prodierunt, iidem erant, qui a vino colchico producuntur.

Homini sexaginta annorum, qui paroxysmo podagrico, quo ut plurimum per hebdomades nonnullas continue afficiebatur, occupatus erat, guttae sexaginta vini colchici die decimo septimo Januarii anni 1817 datae sunt. Dimidia hora post medicinam assumtam nausea, quae vero statim abiit, aegrum invasit. Quinque horis post transpiratio cutanea aucta est et dolores omnino decesserunt, licet sensatio ingrata in partibus affectis adhuc remanserit. Tum alvi dejectiones nonnullae secutae sunt et interpositis horis quadraginta aeger perfecte restitutus est. Et ita, ut ab aquae Hussonii usu fieri solet, aeger per sex menses omni molestia, quam arthritis infert, liberatus et tum die decimo Julii ejusdem anni novo morbi impetu occupatus, sed statim per colchici opem eo exsolutus est.

Celeberrimus *Banks*, qui die vigesimo Julii arthritidis symptomatibus affectus est, guttas nonaginta vini colchici assumsit, quo medicamine non solum citius sed diutius quoque malo liberatus est, quam antequam per aquam Hussonii effectum erat.

Comprobata ita vini colchici efficacia, *Banks* sibi persuasit, illud aquae Hussonii non solum simillimum sed ea adhuc efficacius esse indeque merito ei substitui posse.[1])

Quid, quod magis adhuc Homii sententiae, colchicum partem constitutivam aquae Hussonii prae-

---

[1]) Censor *operis Haasiani de morbis chronicis* in parte 74 orbis annui 1818 ephemeridum Salisburgensium medico-chirurgicarum) commemorat, se in hoc opere tincturam colchici remediis antarthriticis nondum adnumeratam observasse.

cipuam esse, favet, est testimonium medici exercitus Polonici, qui per longum tempus Sedani in stativis fuit. Se vidisse, affirmat, in horto, qui post domum est, ubi aqua Hussonii paratur, colchicum autumnale diligentissime cultum fuisse. Sed aequo modo solanum nigrum in eo coli testatur; an hoc quoque in aquae Hussonii compositionem intrat?

Unicum hujus remedii *indicium* est: paroxysmus arthritidis regularis, qui hac illave parte corporis externa sedem habeat.

Usui ejus *contraria* sunt: status mere phlogisticus, qui sine ullo damno medicaminis irritantis usum non ferret. Tum, antequam ad colchicum refugi possit, anthiphlogisticis utendum erit. Quamquam hoc admodum raro accidet. Saburra primarum viarum, qui saepius una cum paroxysmo arthritidis ingruente exsistit et impedit, quominus medicina vim suam exserat. Illa autem ante omnia removenda, idque saepius emetico. Arthritis atonica, indoles corporis cachectica. Huic casui colchicum non prospicere *Wolffii* experimenta satis docuerunt

Regulas, quas sequens medicus colchicum arthriticis exhibet, jam supra commemoravi.

Ceterum pervelim nunquam obliviscantur colchicum nihil nisi arthritidis symptomata tollere, nequaquam vero morbum ipsum, quapropter nullo modo prohibere posse, quominus novus impetus brevi longove tempore intermisso aegrum invadat. Utilitas, quam colchici tinctura fert, in solo paroxysmo conspicitur, curationem causalem ergo duranti tempore intercalari non interdicit, Ubi spes, arthritidem veram et adhuc recentem radicitus removendi medico affulget, non est cessare sed potius statim ad illa medicamina confugere, quae causam morbi proximam tollere possint. Quam exiguus numerus medicorum, quibus tam felicibus esse continget, quam magnus numerus aegrorum, quibus colchicum praesidio maximo erit!

Colchici usus externus.

Joannes Bauhin [1]) memorat, medicum quendam cataplasma ex colchici bulbis compositum ani verrucis imposuisse, quo remedio excidissent, eundemque jussisse, cum decocto hujus bulbi pubes abluere ad mortem pediculorum efficiendam.

Zornius [2]) colchici radicem et semina contusa cum melle et farina hordei commixta cuti inflammatae imposuit et spinas ac festucas ex ea eduxit.

Linnée [3]) commendat colchici usum contra mariscas.

Störck [4]) refert, acetum colchicum egregium esse resolvens, si externe applicetur, et se hujus aceti ope magnum tumorem cantho oculi interno inhaerentem plane digessisse.

Veteres medici radici colchici longe insigniores effectus asserunt, eam quasi alexipharmacum esse et homines, si instar amuleti sacculo inclusa collo adaptaretur, a venenatis morbis et in ipsa pesti tueri crediderunt. Sunt nominatim *Wedel*, *Wilhelmi* et *Hasenest*, qui talem colchici usum commendant. *Wedel* [5]) plantaginem majorem colchico adjunxit et huic compositoni nomen: *arcanum duplicatum catholicum* tribuit, glorians, hujus arcani virtute se ipsum et multos alios grassante febre putrida cum peticulis adversus morbum tutos reddidisse. *Wilhelmi* omnes exhortatur, ut emplastrum e bulbo colchici paratum ano imponant, cum hoc modo per viam rectam et regiam, i. e. intestina, quamvis materiam

---

1) Traité de la matière médicale par *Geoffroy* Tom. 6. p. 115

2) *Jo. Christ. Ehrmann* de colchico autumnali p. 11. Basil. 1772.

3) *Linnée* Materiae medicae edit: quintae p. 116. Lipsiae 1787.

4) *Störck* l. c. p. 160.

5) Experimentum curiosum de colchico veneno et alexipharmaco *a G. W. Wedel* in den *Breslauer Sammlungen* 5 und 6. Band Seite 1770 ff. Leipzig, 1718.

virulentam et pestiferam extraherent. Sed jam celeberrimus *Rivinus* haec stultitiae monumenta verbis memoria dignissimis satis superque *s*ubvertit: existimo non alium esse horum usum, inquit, nisi quod his confisi praesidiis magnanimi reddantur, minusque contagium horreant. Timidis itaque denegare tale non possum, nolim tamen, talem confidentiam nimiam in superstitionem aut securitatem converti.

De modis colchicum praeparandi.

Forma, qua colchicum aegris propinatur, varia est.

Pulvis ita praeparatur, ut radices caute exsiccatae contundantur. *Heuermann* (l. c.), *Göritz* (l. c.) et *Theden* (l. c.) sub hac indole colchicum dederunt et confirmarunt, se nunquam observasse, remedium ita propinatum aut effectus denegavisse aut damnum ex eo exortum fuisse. Sed non fugit, pulverem recenter praeparatum ventriculum multo facilius quam ullam aliam colchici praeparationem infestare, principium acre brevi dissipari et pulverem dein inefficacem fore. Praeterea aegri pulverem ob gustum ingratum aversantur et medici has ob causas hanc medicaminis formam rejecerunt.

Extractum colchici *Linnée* (l. c. p. 116) commemorat, neque vero rem fusius tractat. Sed necesse erit, extractum, ne partes efficaces amittat, eo modo rationeque praeparetur, qua pharmacopoea Borussica extractum aconiti, chelidonii, conii parare jubet.

Acetum colchici a *Störck* hoc modo paratum est:

℞

Radicis colchici recentis, succulentae in tenues taleolas sectae ℥j.
Aceti vini ℔j.

Digere per horas quadraginta octo in vase vitreo leni igne saepe agitando, dein colaturam leniter expressam exhibe. Acetum inde paratum colorem ex fusco rubrum habet, odorem acidum conser-

vat, saporis acris et subamari est, linguam vellicat, fauces irritat easque constringit. Ad usum externum adhibetur, minime vero ad internum.[1] Ut magis mite reddatur, cum mellis puri debita quantitate in *oxymel* redigitur:

℞

Aceti colchici	℔j
Mellis puri	℔jj

Misce et coque supra molli igne ad mellis consistentiam. Hoc oxymel subfuscum et grate acidum est, linguam leniter vellicat et adstringit.

Pharmocopöa Wirtembergica anni 1785 (Pars II. p. 143) hanc *Störckii* methodum, acetum et oxymel colchicum parandi sibi adoptavit, quod exemplum *Pharmacopöa Gallica* anni 1818 secuta est.

Vinum colchici secundum *Home* (Ph. Trans. 1816 part. 2. p. 259) hoc modo praeparatur:

℞

Radicis colchici recentis in taleolas sectae	℔jj.
digere leni calore cum	
Vini de Madeira	℔jj.

per dies sex, tunc exprime et filtra.

Hoc vinum colchicum coloris subrubri, odoris vino de Madeira proprii et saporis acris, amari et nauseosi est. Multum salivae, si vinum in ore retentur, elicit, et ingrata titillatio linguae radici diu inhaeret.

Infusum colchici vinosum, licet percolatum sit, sedimentum praecipitat, si non agitatur, id quod eodem modo in aqua Hussonii fit. Quaeritur, utrum sedimentum an humor pellucidus vires specificas antarthriticas contineat.

Aqua Hussonii caute a sedimento discreta est (Ph. Trans. 1817 Part. II. p. 262), effectus in corpore lenes fuerunt, cum alterius partis, cui sedimentum inhaesit, dosis eadem effectus non tam exiguos sed potius vehementes, nauseam et alvi dejectiones frequentes provocavit.

Guttae triginta aquae Hussonii sedimentum continentis in canis venam jugularem immissae sunt et

observatum est, effectus hujus periculi iis ejusdem copiae humoris pellucidi similes fuisse, attamen animal duabus horis diutius aegrotasse et novem horis diutius catharsin perseveravisse.

Canis guttas centum et sexaginta aquae Hussonii sedimentum retinentis devoravit; phänomena dira jam supra memorata eum statim occupaverunt et mors novem horis post subsecuta est. Eadem copia vini colchici a sedimento caute discreti effectus quidem vehementes, vomitum, catharsin et urinae excretionem copiosam civit, attamen canis, eodem quo alter die natus, interpositis horis duabus perfecte convaluit Et guttae tercentum vini colchici pellucidi eosdem, quos aquae Hussonii sedimentum continentis guttae centum et sexaginta effectus produxerunt.

Viro sexagenario, cujus jam antea memini, cum arthritidis impetu vexaretur, guttae sexaginta vini colchici a sedimento caute separati exhibitae sunt. Effectus exigui quidem sed dolores arthritici omnino remoti sunt.

Grana sex sedimenti vini colchici cani propinata sunt. Elapsis horis tribus vomitus et catharsis exoriebantur, quae per viginti quatuor horas continuatae multum sanguinis et per os et per anum reddiderunt.

Sedimentum ergo principium continet, quod drasticorum et acrium modo agit et nauseam, vomitum, catharsin et urinae secretionem copiosam suscitat. Pars liquoris pellucida vi antarthritica praedita est, et ne medicamen incommodo sit arthriticis et vomitum et hypercatharsin nullo modo optabilem cieat, necesse est humor pellucidus a sedimento separetur Ubi autem hydropicis tinctura colchici admovetur, oportet sedimentum liquori inhaereat. Quod ut separetur nihil videtur melius esse, quam medicinam in vasis amplis servare. Facta praecipitatione in vasculi fundum humor pellucidus caute defunditur. Aqua Husonii, quae vasculis perangustis continetur, non sinit sedimentum a liquore penitus sejungi, unde ejus effectus incerti sunt, aegrum valde molestant et medici opem haud raro ludunt.

Dr. Want,[1]) medicus Londinensis, hanc *tincturae colchici spirituosae* formulam concinnavit:

℞

Radicum colchici recentium ℥jV
in taleolas seca et infunde cum
Spiritus vini rectificati ℥Vj

Digere loco tepido in vase bene clauso, tincturam leniter exprime, filtra et serva. —

Coloris vini Gallici albi et saporis acris, amari, nauseosi.

Alia *tinctura spirituosa*, quae forsitan in hydrope et in arthritide longe efficacior esset, eo modo componi potest, quo secundum Pharmacopöam Borussicam tinctura scillae kalina olim praeparata est:

℞

Radicis colchici recentis dissectae ℥jj
Kali carbonici ℥j
contunde in mortario et adde
Spiritus vini rectificati ℥Vj

Digere loco tepido in vase bene clauso per horas sex; tincturam exprime et serva.

Tinctura ita parata coloris vini albi, saporis peringrati, kalini, amari, nauseosi est et linguam hebetat.

De dosi.

Heuermann (l. c.) pulverem de cochlearibus parvis (drachmam continentibus) quatuor ad octo per diem dedit. Iam antea monui, forma pulveris hoc medicamen multa incommoda habere, tamen si quis eam eligere velit a dosi satis parva incipiat, ut experiatur, utrum radix, quam exhibet, recens et efficax an vieta et inefficax sit. Ac nihilomagis omittat vehiculum involvens et saporem et actionem colchici in ventriculum corrigens addere.

---

[1]) Repertorium für die Pharmacie von Buchner. Iahrgang 1818. Hft. 1. S. 105.

Theden simul cum hoc pulvere tartarum tartarisatum hydropicis exhibuit.

Acetum colchicum interne haud praescriptum est, et potius usui externo inservit. Tum ei adjungenda sunt, quae eundem in finem cum aceto scillitico commiscentur, ut puta gummi ammoniacum. Cum kali conjunctum et in aqua aromatica solutum medici votis forsitan bene responderet.

Oxymel colchicum. Semper a parva dosi incipiendum et in principio adultis drachma quater per diem, infantibus bis per spatium viginti quatuor horarum propinanda est. Si aegri hanc dosin facile ferunt et effectus debitus non enascitur, sensim sensimque augenda est et quater per diem drachmae duae, dein quatuor et tandem sex propinandae sunt.

Störck desperatae hydropicae Unciam quater per diem dedit eamque sanavit (Continuat. exper. p. 129). Si morbus urget aut aeger robusto corpore et integris visceribus gaudet, a majori dosi incipere et statim a principio drachmas duas propinare licet.

In hydrope alvum liberam habere saepe salutare est et copiosa alvus quandoque prodest anasarca laborantibus adhuc robustis et asciticis viribus nondum destitutis. Si vero vires ad curationem necessarias vehementer imminuit et verendum ut hac via aeger sanetur, tunc intra debitos limites coërcenda est. Opium votis apprime satisfacit, alvum moderatur et saepe statim urinas copiosissimas elicit et sudorem salubrem haud raro movet. E. g.

℞

Oxymellis colchici	℥j
Syrupi opiati	℥ß

Mss. Sumatur omni trihorio parvum cochleare.

Plerumque oxymel colchicum per se hydropicis adeo prospiciet, ut ad aliud remedium refugere non opus sit. In morbo rebelli vero, qui colchico soli non obedit, alia adhuc medicus quaerat, quae ad diuresin augendam multum contribuunt aut viscera abdominalia obstructa potenter reserant, ut: kali aceticum, tartarus depuratus, tartarus vitriolatus, ex-

tractum cicutae. Si aegri oxymel colchicum per se non bene ferunt, in aqua aromatica solvendum est, cui spiritus nitrico-aethereus vel sulphurico-aethereus superaddi possunt.

Vinum colchicum de guttis sexaginta aegris praebetur. Illis, qui saepius jam hoc remedio usi sunt, guttae nonaginta propinentur.

Tinctura colchici spirituosa Dris Want de drachmis duabus aegris exhibetur.

VITAE CURRICULUM
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Eduard Wolf, Christianiae religioni secundum Calvini formulas addictus, Berolini natus sum anno millesimo septingentesimo nonagesimo quarto, die octavo ante Calendas Decembris. Patre optimo, gymnasii regii Ioachimici professore et matre carissima gaudeo et iis officia mihi gratissima adhuc diu praestem a numine supplico. Doctrinis, quibus aetas puerilis instrui solet, absolutis, gymnasium Ioachimicum adii, ibique per quinquiennium litteris, quae studii academici viam muniunt, diligentissime incubui. Anno millesimo octingentesimo nono, Calendis Novembris, seminarii regii medico-chirurgici militaris alumnorum numero adscriptus per septem semestria medicinae ac chirurgiae studio assidue me tradidi, neque minus in medicina, chirurgia atque arte obstetricia exercenda versatus sum, fungens per menses septem munere chirurgi in nosocomio charitatis.

Exorto bello, anno millesimo octingentesimo decimo tertio sauciorum curae operam daturus chirurgi officia suscepi, in quibus, ne deessem, quantum fieri potuit, elaboravi per triennium. Reconciliata pace et in patriam redux in numerum medicorum, qui seminario medico-chirurgico militari praesunt, vocatus sum, et tam felici esse mihi contigit, ut denuo hancce almam musarum sedem aggrederer.

Pia grataque mente praelectiones, quibus per omne meorum studiorum spatium professorum excellentissimorum sapientiam haurire mihi licuit, commemoro.

Audivi in philosophicis celeberr. *Kiesewetter*, in botanice beatum *Wildenow* et in physica et re-

rum chemicarum expositione clarissim. *Turte*, Illustrissimi *Knape* et doctissimi *A. F. Walter* osteologiae explanationes, sicut summorum virorum, *Walter*, *Knape* et *Rudolphi* anatomes universae et hominis et comparatae institutiones et cadavera dissecandi artis praecepta. Audivi generosis. a *Koenen* et celeberr. *Rudolphi* physiologiae praelectiones, beati *Reil*, beati *Hecker* nec non illustriss. *Rudolphi* pathologiae generalis doctrinam, illustriss *Horn* pathologiae specialis rationes et celeberr. *Fr. Hufeland* semiotices principia; excellentiss. de *Koenen* et beati *Wildenow* materiae medicae et illustriss. *Knape* artis formulas medicas concinnandi doctrinas. Audivi therapiae generalis et specialis beati *Reil*, illustriss. *C. W. Hufeland* *Formey* et *Fr. Hufeland* institutiones, illustriss. *Behrends* Celsi interpretationes, chirurgiae generalis et specialis illustriss. *Graefe* praecepta et virorum excellentiss. *Mursinna*, *Graefe* et *Rust* in curationibus ex manu faciendis et illustriss. *Mursinna* de luxaturis et fracturis, Ejusque institutiones fascias applicandi et in arte obstetricia. Audivi beati *Reil* et illustriss. *Knape* medicinae forensis praecepta et ampliss. *Horn* institutiones medicinae practicae in nosodochio caritatis.

Tentamine die sexto ante Calendas Octobris et examine rigoroso pridie ante Nonas Octobris absolutis, spero nil obesse, quominus Gratiosa Facultas Medica summos in medicina ac chirurgia honores, dissertatione rite defensa, in me conferat.

THESES DEFENDENDAE.

I. Plenus venter studet libenter.

II. Typhus icterodes non morbus contagiosus.

III. Symptomata morbi, pleuritis vulgo vocati, pleurae inflammationi non respondent.

IV. Febris ad juvandam naturam medicatricem necessaria est.

V. Quisque abscessus incisione magna aperiatur oportet.